



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Qvaest. LI. De sepultura Christi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

A quidem non ita vilem Dei naturam arbitraberis, tanquam qua aliquando subiecta possit esse iniuriis.

De sepultura Christi, in quatuor articulos diuisa.

COMMENTARIVS.



Einde considerandum est de sepultura Christi. Et circa hoc quatuor queruntur.

Primo, utrum conueniens fuit Christum sepeliri.

Secundo, de modo sepultura eius.

Tertio, utrum corpus eius fuerit in sepulchro resolutum.

Quarto, de tempore quo iacuit in sepulchro.

ARTICVLVS I.

Utum fuerit conueniens Christum sepeliri.

282:
Inf. q. 52.
art. 1. co. 8.
op. 3. c. 241.
242. 8.
op. 60. c. 20.
pri. 8. c. 1. Co.
15. l. 6. c. 3.



Primum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens Christum sepeliri. De Christo enim dicitur in Psalm. 87. Factus est sicut homo sine adiutorio, in inter mortuos liber. Sed in sepulchro concluduntur corpora mortuorum, quod videtur esse contrarium libertati. Ergo non videtur fuisse conueniens, quod corpus Christi sepeliretur.

2. Præterea. Nihil circa Christum si debuit, quod non esset salutariferum nobis. Sed in nullo videtur ad salutem hominum pertinere, quod Christus fuit sepultus. Ergo non fuit conueniens Christum sepeliri.

3. Præterea. Inconueniens esse videtur, quod Deus qui est super caelos ex celsis in terra sepeliretur. Sed illud quod conuenit corpori Christi mortuo, attribuitur Deo ratione vnionis. Ergo conueniens videtur, Christum fuisse sepultum.

Sed contra est, quod Dominus dicit Matth. 26. de muliere qua eum inunxerat, opus bonum operata est in me: & postea subdit. Mittens enim hoc vnguentum in corpus meum ad sepeliendum me fecit.

Respondetur dicendum, quod conueniens fuit Christum sepeliri. Primo quidem ad comprobandam veritatem mortis: non enim in sepulchro aliquis ponitur, nisi quando iam de veritate mortis constat. Vnde & Marci 15. legitur, quod Pilatus antequam concederet Christum sepeliri, diligenter inquisitione cognouit eum mortuum esse. Secundo, quia per hoc quod Christus de sepulchro resurrexit, datur spes resurgendi per ipsum, his qui sunt in sepulchro: secundum illud Ioa. 5. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & qui audierint, uiuent. Tertio, ad exemplum eorum, qui per mortem Christi spiritualiter moriuntur peccatis: qui scilicet abscondantur a conturbatione hominum. Vnde dicitur Colos. 3. Mortui estis & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Vnde & baptizati, qui per mortem Christi moriuntur peccatis, quasi consepeliuntur Christo per immersionem, secundum illud Roman. 6. Consepulti sumus cum Christo, per baptismum in mortem.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus sepultus, se inter mortuos liberum fuisse ostendit, in hoc quod per inclusionem sepulchri, non potuit impediri, quin ab eo resurgendo existeret.

Ad secundum dicendum, quod sicut mors Christi efficiens operata est nostram salutem, ita etiam & eius sepultura. Vnde Hieronymus dicit super Matth. Sepultura Christi resurgimus. Et Isa. 53. super illud, Dabit impiis pro sepultura, dicitur glo. id est, Gentes, quæ sine pietate erant, Deo, patrique dabit: quia mortuus & sepultus eos acquisiuit.

Ad tertium dicendum, quod sicut dicitur in quodam sermone Concilij Ephesini. Nihil horum, quæ saluant homines, iniuriam Deo facit: quæ ostendunt eum non passibilem, sed elementem: Et in alio sermone eiusdem concilij legitur. Nihil putat iniuriam Deo, quod est occasio salutis hominibus: in

Itera huius articuli facillima est, & in corpore eius posset addi congruentia, voluisse Christum sepeliri, ut exemplo suo indicaret curam sepeliendi mortuos honestam esse, & ad pietatem, & misericordiam pertinere, quam etiam attigit D. Tho. ar. 2.

In solutione ad 1. de Christo explicat D. Thom. illud Psalm. 87. Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Quod dicit recte accommodari corpori

Christi, quod in sepulchro liberum fuit, quia impediri non potuit, quin exiret, cum velleret. Quam expositionem indicat Aug. in expositione illius Psalm. dicens. Inter mortuos liber est, qui carnem suam, tanquam solutum ab eis templum resuscitare poterat, cum volebat.

Hieronymus vero ibidem eadem verba de Christo interpretans, ad Christi animam ea referre videtur, dicens. Inter mortuos liber, quia nemo me in inferno vinxit, sed ego vincitorum catenam propria virtute calcaui. Eodem modo Rufinus in expositione Symboli Apostolorum, Euidensime (inquit) de eo dicitur, Factus sum, sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Nō dixit, homo, sed sicut homo, quia etiam descenderat in infernum: sed inter mortuos liber, quia à morte teneri non poterat.

Quæ tamen verba tam ad corpus, quam ad animam accommodari possunt. Eodem fere modo exponit Cyprianus. sermone de passione Christi versus finem. Tota vero hæc expositio allegorica est. Ad litteram enim David loquitur de seipso; quando eum Saul, vel Absalon ita affligebant, ut videretur à Deo derelictus. Vnde Basilus, & Theodoretus ita interpretantur illa verba. Inter mortuos liber. Cum nondum mortis cruciatu per mortem factus sim obnoxius, me ipse mortuus connumeror. Non est tamen negandum, quin prima expositio quamuis mystica, sit maxime ab Spiritu sancto intentata, imo & David quoque respexisse ad Christum credibile est. Multa enim sunt in illo Psalmo, quæ vix possunt in alium conuenire.

In solut. ad 2. dicit D. Thomas sepulturam Christi operatam esse nostram salutem efficienter, quamuis non meritorie. Sed hoc (ut in superioribus notauimus) non potest proprie intelligi, sed per quandam proportionem, seu accommodationem; quatenus corpus sepulchro traditum propter homines, est accommodatum instrumentum ad excitandos homines à sepulchris.

In solut. ad 3. supponit D. Thom. esse communicationem idiomatum inter Deum, & corpus mortuum illi unitum, & ea ratione verum esse dicere, Deum iacuisse in sepulchro. In quo potest esse nonnulla difficultas, quia illa communicatio idiomatum, supponit veritatem huius propositionis, Deus est corpus mortuum, vel hoc corpus est Deus. Nam in huiusmodi propositionibus fundatur: at vero illæ loquutiones non admittuntur communiter. Quia ibi corpus erat per modum partis humanæ naturæ: communicatio autem idiomatum non est inter suppositum, & partem naturæ; quia nomen partis abstracte significat: propter quod non dicitur Verbum in triduo esse animam. Dicendum vero est illam loquutionem simpliciter esse admittendam; Deus est sepultus, ut dictum est supra disput. 38. sectio. 2. Hæc autem loquutio fundari potest vel in hoc, quod corpus illud simpliciter erat quoddam totum: vel certe (quod verius est) quod per synecdochem nomen totius parti tribuitur, quomodo Petrus dicitur sepultus, ubi est corpus eius. Et eadem ratione dicitur Christus sepultus, & quia Christus est Deus, dicitur etiam Deus sepultus. Legatur Richard. ind. 3. dist. 21. artic. 1. quæst. 2. & Bonau. dist. 22. artic. 1. quæst. 1. & Bonau. dist. 22. artic. 1. quæst. 1.

Glo. ord. ibi.
id habet.

D. Thom.
Psalm. 87.
Christus se-
pultus inter
mortuos
liber.
Augustin.

Hieronymus.

Rufinus.

Cyprianus.

Basil.
Theodoretus.

Simplicitas
dicitur
Deus sepul-
tus.

Virum conuenienti modo Christus fuerit sepultus.

283.



Ad secundum sic proceditur. Videtur, non conuenienti modo Christum fuisse sepultum. Sepultura enim eius respondet morti ipsius. Sed Christus fuit passus mortem abiectionis: secundum illud Sapientie 2. Mor- te turpissima condemnemur cum: inconueniens videtur fuisse quod Christo exhibita fuit honorabilis sepultura: in quantum à Magnatibus fuit tumulatus à Ioseph ab Arimathia, qui erat nobilis Decurio (vt habetur Marc. 15.) & à Nicodemo, qui erat princeps Iudeorum: vt habetur Ioan. 3.

2. Preterea. Circa Christum non debuit aliquid fieri, quod esset superfluitatis exemplum. Videtur autem superfluitatis fuisse, quod ad sepeliendum Christum Nicodemus venit ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum (vt dicitur Ioan. 19.) præsertim cum mulier præuenerit corpus eius vngere in sepulturam, vt dicitur Marc. 14. Non ergo fuit hoc conuenienter circa Christum factum.

3. Preterea. Non est conueniens vt aliquid factum sibi ipsi sit dissonum: sed sepultura Christi simplex fuit ex vna parte: quia scilicet Ioseph inuoluit corpus eius in sindone munda (vt dicitur Matth. 27.) non autem auro aut gemmis, aut serico, vt Hiero. ibidem dicit: ex alia vero parte videtur fuisse ambigua, in quantum eum cum aromatibus sepelierunt. Ergo videtur, non fuisse conueniens modus sepulture Christi.

4. Preterea. Quæcunque scripta sunt, præcipue de Christo, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt dicitur Roman. 15. Sed quædam scribuntur in Euangelis circa sepulchrum Christi, quæ in nullo videntur ad nostram doctrinam pertinere: sicut quod fuit sepultus in horto, quod in monumento alieno, & nouo, & exciso in petra. Inconueniens ergo fuit modus sepulture Christi.

Sed contra est, quod dicitur Isaia 55. Et erit sepulchrum eius gloriosum.

Respondeo dicendum, quod modus sepulture Christi ostenditur esse conueniens quantum ad tria. Primo quidem quantum ad confirmandam fidem mortis, & resurrectionis ipsius. Secundo, ad commendandam pietatem eorum, qui eum sepelierunt. Vnde Augustinus dicit in 1. de ciuit. Dei: Laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum diligenter, atque honorifice tegendum, sepeliendumque curarunt. Tercio, quantum ad mysterium, per quod informantur illi, qui Christo conspiciuntur in mortem.

Ad primum ergo dicendum, quod circa mortem Christi commendatur patientia, & constantia ipsius, qui mortem est passus: & tanto magis, quanto mors fuit abiectior. Sed in sepultura honorifica consideratur virtus morientis, qui contra intentionem occidentium etiam mortuus honorifice sepelitur: & præfiguratur deuotio fidelium, qui erant Christo mortuo seruituri.

Ad secundum dicendum, quod in hoc, quod Euangelista dicit, Quod sepelierunt eum, sicut mos est Iudeis sepelire (sicut Augustinus dicit super Ioannem) admonuit in huiusmodi officio, quæ mortuis exhibentur, morem cuiuslibet gentis esse seruandum. Erat autem istius gentis consuetudo, vt mortuorum corpora variis aromatibus condirentur, vt diutius seruari possent. Vnde & in tertio de doctrina Christiana dicitur, quod in omnibus talibus, non usus rerum, sed libido vten- tis in culpa est. Et postea subdit, quod in aliis personis plerumque flagitium est. in diuina vel prophetica persona maxime cuiusdam rei signum est. Myrrha enim, & aloes propter suam amaritudinem significant penitentiam, per quam aliquis in seipso Christum conseruat absque corruptione peccati: odor autem aromatum significant bonam famam.

Fr. Suarez. tom. 2.

Ad tertium dicendum, quod myrrha, & aloes adhibebantur corpori Christi, vt immune à corruptione ser- uaretur, quod videbatur ad quandam necessitatem perti- nere. Vnde datur nobis exemplum, quod licet possimus aliquibus pretiosis vt medicinaliter pro necessitate nostri corporis conseruari. Sed inuolutio corporis pertinebat ad solam quandam decentiam honestatis: & in talibus sim- plicibus debemus esse contenti. Per hoc tamen significaba- tur (vt Hieronymus dicit) quod ille in sindone munda inuol- uit Iesum, qui mente pura eum suscepit. Et hinc, vt Beda di- cit super Marcum. Ecclesie mos obtinuit, vt sacrificium alta- ris non in serico, neque in pannotincto, sed in lino terre- no celebraretur: sicut corpus Domini est in sindone munda sepul- tum.

Ad quartum dicendum, quod Christus sepelitur in hor- to, ad significandum, quod per mortem & sepulturam ipsius, liberamur à morte, quam incurrimus per peccatum. Ade in horto paradysi commissum. Ideo autem Saluator in aliena ponitur sepultura (vt Augustinus dicit in quodam sermone) quia pro aliorum moriebatur salute: sepulchrum autem mortis est habitaculum. Per hoc etiam considerari potest paupertatis abundantia pro nobis suscepta: nam qui domum in vita non habuit, post mortem quoque in alieno sepulchro reconditur, & nudus existens à Ioseph cooperitur. In nouo autem ponitur monumento (vt Hieronymus dicit) ne post resurrectionem, ceteris corporibus re- manentibus, surrexisse alius fingeretur. Potest autem & Bed cap. nouum sepulchrum, Mariæ virginalem vterum demonstra- re. Per hoc etiam datur intelligi, quod per Christi sepul- turam omnes innouamur, morte & corruptione destru- ctis.

In monumento autem exciso in petra conditus est (vt Hieronymus dicit) ne sex multis lapidibus adificatum fuis- set, tumuli fundamentis suffosis ablatus furto diceretur. Vnde & saxum magnum, quod appositum fuit, ostendit quod non absque auxilio plurimorum sepulchrum potuisset referari. Si etiam sepultus fuisset in terra, dicere poterant, Suffoderunt terram, & furati sunt eum: sicut Augustinus di- cit. Significatur autem mystice per hoc (vt Hilarius dicit) quod per Apostolorum doctrinam in peccatis duritia Genti- lis quodam doctrina opere excisum Christus infertur, ru- de scilicet, ac nouum, & nullo antea ingressu timori Dei perueniunt. Et quia nihil præter eum oportet in peccata no- stra penetrare, lapis ostio aduoluitur. Et sicut Origenes dicit, non fortuito scriptum est, quod Ioseph inuoluit cor- pus Christi sindone munda, & posuit in monumento no- uo, & quod aduoluit lapidem magnum: quia omnia, quæ sunt circa corpus Iesu, munda sunt, & noua, & valde magna.

COMMENTARIVS.

Itera est clara, & de re ipsa nonnulla dicemus di- scussionem sequenti. Solum est hic annotandus locus ille Ioannis 19. quem D. Tho. attingit in solut. ad 2. In quo dicitur, Nicodemum adduxisse quasi libras centum confectionis myrrhæ & aloes. Quia non solum superfluum (vt D. Thom. argumentatur) verum etiam incredibile apparet, tot libras vnguenti in vnus corporis vnctione fuisse consumptas. Propter quod aliqui existimarunt libram eo loco non significare mensuram ponderis, sed nummi: vt sensus sit, ad vngendum Christum adductum esse vnguentum, quod centum libris fuerat comparatum. Sed hæc expositio non placet: tum quia non quadrat contextui: tum etiam quia non soluit difficultatem. Nam centum librarum argenti etiam videri potest nimia quantitas pecuniæ. Adde, nomen libræ in ea si- gnificatione, pro quantitate, & mensura pecuniæ non esse admodum generale, sed in paucis nationi-

Super illud
Matth. 27.
tom. 9.
Beda in præ-
dictum ver-
Marc. 14.
secund. ord.
Beda, non
procul à fin.

Ser. 2. in vi-
gi. Pasche
qui est 153.
in ordine
post mod.
tom. 10.

Super hoc
verb. Matt.
27. tom. 9.
& Bed cap.
94. super
Lucam.

Super hoc
verb. Matt.
27. tom. 9.
& Beda super
Lucam.
In vig. Pa-
sche in ser. 2.
à me to. 10.
Hilar. cano.
ult. in Mat.
nō multum
procul à fin.
Hom. 35 in
Matth. in
ult. fol. 60.
tom. 3.

Dubium:
circa testi-
monium
Ioann. 19.

Ni z bu

Tract. 126.
in Euangel.
Ioan. à medi-
tom. 9.

Lib. 3. c. 12.
parum à
principio,
tom. 3. eodem
loco nunc
dicto.

bus usurpari. Vnde neq. ad Latinos antiquos fuit in A
vfu in ea significatione, neque in Scriptura sacra re-
peritur. Dicunt ergo alij illas libras fuisse minoris
Medin. quantitatæ, quam sint nostræ: & Medina hic asserit
fortasse apud Iudæos libram vnciam fuisse. Sed non
oportet hoc dicere sine fundamento. Nam licet ve-
rum sit non omnem libram easdem vncias habere,
tamen certum est quamlibet pluribus vnciis con-
stare, & frequentius constituisse duodecim.

Responso.
Nicodemus
magnifice
Christi cor-
pus aroma-
tibus condidit,
ac sepelivit.

Dicendum est ergo, Nicodemum fuisse virum di-
uitem, nobilem ac potentem, & (vt Chrysostomus
ait homilia 84. in Ioannem) voluisse sepelire Iesum,
non vt reum, sed magnifice, tanquam magnum ali-
quem, atque admirandum virum, & ideo magnam
copiam myrrhæ, ac aloes attulisse, vt Christi corpus
conderetur, siue tota illa quantitas consumpta fue-
rit in illa vñctione (hoc enim Euangelistæ non expri-
munt) siue non solum corpus, sed etiam locum, ac
pauimentum sepulchri eo liquore perfuderit, i de-
nim fieri etiam potuit, quamuis scriptum non sit.

ARTICVLVS III.

*Virum corpus Christi fuerit in sepulchro incinera-
tum.*

284.
Infra q. 53.
art. 1. co. 5.
ad 1. 3. di.
21 q. 1. art. 2.
5 q. 3. art.
1 ad 1. 5. o.
pust. 3. c. 341.
Ep. 60. 6.
20. co. 2.



tertium sic proceditur. Videtur, quod
corpus Christi in sepulchro fuerit incinera-
tum. Sicut enim mors est pena peccati pri-
mi parentis, ita etiam & incineratio: di-
ctum est enim primo homini post peccatū.
Pulvis es, & in puluerem reuerteris: vt dicitur Genes. 3. Sed
Christus mortem sustinuit, vt nos a morte liberaret. Ergo et-
iam incinerari debuit corpus eius, vt nos ab incineratione li-
beraret.

2. Præterea. Corpus Christi fuit eiusdem naturæ cum
corporibus nostris. Sed corpora nostra statim post mortem re-
solui incipiunt, & ad putredinem disponuntur: quia exha-
lante calido naturali, superuenit calor extraneus, qui putre-
factionem causat. Ergo videtur, quod similiter in corpore
Christi acciderit.

3. Præterea. Sicut dictum est, Christus sepeliri voluit, vt
daret hominibus spem resurgendi etiam de sepulchro. Ergo et-
iam incinerationem pati debuit, vt spem resurgendi incinera-
tis post incinerationem daret.

Sed contra est, quod in Psal. 5 dicitur. Non dabis sanctum
tuum videre corruptionem. Quod Damas exposit in lib. 3. de
Corruptione, quæ est per resolutionem in elementa.

Respondeo dicendum, quod non fuit conueniens corpus
Christi putrescere, vel quocumq. modo incinerari: quia putre-
factio cuiuscumq. corporis provenit ex infirmitate naturæ il-
lius corporis, quæ non potest amplius corpus continere in vnum.

q. præc. art. 1.
ad 2.

Mors autem Christi (sicut supra dictum est) non debuit esse
ex naturæ infirmitate, ne crederetur non esse voluntaria: &
ideo non ex morbo, sed ex passione illata voluit mori, cui se ob-
tulit sponte. Et ideo Christus, ne mors eius naturæ infirmitati
adscriberetur, noluit corpus suum qualitercunque putrescere,
aut qualitercunque resolui: sed ad ostensionem virtutis diui-
næ voluit corpus illud incorruptum permanere. Vnde Chryso-
stomus dicit, quod viventibus aliis hominibus, his scilicet qui egerunt
strenue, ardent propria gesta: his autem pereuntibus, pere-
les demon- stratio quod omnia sunt mæsta & infirma: vt autem crucifixus est, omnia
Christus sit clariora sunt facta, vt noscatur non pium hominem crucifi-
xum.

In 19. qui
dicitur, ad-
uersus genti-
um demon-
stratio quod
Christus sit
Deus: parū
ante med.
som. 5.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus cum non esset
subiectus peccato, neque morti erat obnoxius, neque incinera-
tionis: voluntarie tamen mortem sustinuit propter nostram
salutem, secundum rationes supra dictas. Si autem corpus eius
fuisse putrefactū vel resolutum, magis hoc fuisset in detrimē-

tum salutis humanæ, dum non crederetur in eo esse virtus di-
uina. Vnde ex persona eius in Psal. 29 dicitur. Quæ vilitas
in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? quasi di-
cat: Si corpus meum putrescat, perdetur effusio sanguinis vti-
litatis.

Ad secundum dicendum, quod corpus Christi quantum ad
conditionem naturæ passibile putrefactibile fuit: licet non
quantum ad meritum putrefactionis, quod est peccatum. Sed
virtus diuina corpus Christi a putrefactione præseruauit, sicut
& resuscitauit a morte.

Ad tertium dicendum, quod Christus de sepulchro resur-
rexit virtute diuina, quæ nullis terminis coarctatur. Et ideo
hoc, quod a sepulchro surrexit, sufficiens argumentum fuit:
quod homines erant resuscitandi virtute diuina, non solum
de sepulchris, sed etiam de quibuscumque cineribus.

COMMENTARIVS.

Respondet D. Thomas negando Christi corpus in
sepulchro in cineres redactum esse. Quæ assertio
certa est secundum fidem, quam D. Thomas in argu-
mento, Sed contra, probat verbis Psal. 15. Non dabis
sanctum tuum videre corruptionem. Quæ cum Damasce-
no libro 3. de fide capite 28. de Christo interpretatur, Psal. 15.
& de corruptione, non hominis per mortem, sed
humani corporis iam mortui per putrefactionem,
& resolutionem in elementa. Quæ est expositio om-
nium Patrum in illum locum, Augustini, Hierony-
mi, Basilij, & Theodoret. Et omnino certum est
hunc esse proprium, ac literalem sensum, cum Pe-
trus Acto. secundo, ita sit hunc locum interpretatus.
Propheta (inquit) cum esset, & sciret, quatiue iurando
iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem
eius, providens loquutus est de resurrectione Christi, quia
neque derelictus est in inferno, nec caro eius vidit corruptio-
nem. Eodem modo exposuit hunc locum Paul. Acto.
decimotertio. Vbi probat non posse de Dauide in-
telligi. Dauid enim (inquit) in sua generatione cum admi-
nistrasset, voluntate Dei dormiuit, & appositus est ad Pa-
tres suos, & vidit corruptionem: quem verò Deus suscitauit,
non vidit corruptionem. Ex quibus etiam testimoniis
evidenter colligitur, sermonem esse de prædicta cor-
ruptione corporis iam mortui: tum quia loquens
Paulus de Dauide hæc condistinguit, dicens eum &
mortuum esse, & vidisse corruptionem: Tum quia
loquens de Christo, & supponit eum mortuum esse,
cum surrexisse affirmet, & negat vidisse corrup-
tionem.

Ratio præterea quæ D. Thomas confirmat asser-
tionem, est optima. Summa eius est. Quia sicut non
decurrit Christum corporis morbis, & infirmitatibus
subiacere, aut ex agitudine mori, ne videretur hæc
necessitate potius naturæ, quam voluntate pati, ita
non decuit post mortem pati corruptionem, ne mors
eius naturæ infirmitati adscriberetur. Et in solutio-
ne ad primum addit rationem aliam. Nam Christus
mortem assumpsit propter nostram vtilitatem, cor-
poris autem mortui corruptio non erat nobis neces-
saria, aut vtilis, quia per illam nec mereri iam pote-
rat, nec satisfacere, quin potius posset esse nobis im-
pedimento, si propter huiusmodi corruptionem cor-
poris, quispiam aut de veritate voluntariæ mortis,
resurrectionisve, aut de virtute diuinitatis illi cor-
pori coniunctæ dubitaret. Atq. in hunc modum in-
terpretatur illud Psal. 29. Quæ vilitas in sanguine meo,
dum descendo in corruptionem? id est, si descendero, seu
si corpus meum putrescat, impeditur fructus, & v-
tilitas sanguinis effusio. Quo sensu interpretantur et-
iam hæc verba, Augustinus, & Hieronymus. Et est satis
accommodatus sensus, quāuis spiritalis magis, quam
literalis videatur. Tertia coniectura, & satis literalis
addi potest. Quia cum corpus Christi paulo post esset
suscitandum, non oportuit eum in cinerem redigi.

Christi cor-
pus in sepul-
chro non est
in cineres
reductum.

August.
Hieronym.
Basil.
Theodor.
Act. 3.

Psalm. 29.

August.
Hieronymus.

Vt enim

DISPUTATIO XLI.

In tres Sectiones distributa.

De ijs, quæ post mortem circa Christi corpus facta sunt.

IN superioribus disputationibus vique ad Christi mortem explanandam peruenimus: reliquum ergo est, antequam de resurrectione dicamus, ut de patribus separatis, corpore scilicet, & anima, quid videlicet in vtraque illo tempore actum sit, inquiramus. Tria vero potissimum sunt, quæ ab Evangelistis narrari videntur facta circa corpus Christi defunctum. Primo quod latus eius lancea apertum sit: deinde quod depositum fuerit de cruce, & præparatum ad sepulturam: ac demum sepultum. De his igitur dicendum est, & obiter adijciendum quoque quid B. Virgo in mysterio passa sit, ut quædam vulgi opinionem corrigamus, ac refellamus.

SECTIO I.

Vtrum Christi corpus in cruce pendens post mortem fuerit ita lancea vulneratum, ut ex latere eius sanguis, & aqua manauerint.

Ratio dubitandi esse potest. Quia non videtur decessisse, ut Christus post mortem nouum vulnus acciperet, quia solum propter peccata nostra vulneratus est, ut eis mederetur: vulnus autem post mortem susceptum non poterat esse medicina peccati, cum neque rationem meriti, neque satisfactionis habere posset. Similiter ratione dicemus inferius animam Christi post separationem à corpore nihil amplius passam esse, & D. Thom. ferè eodem discursu intulit non debuisse Christi corpus in cineres redigi. Et confirmatur: nam sicut decessit Christum ante mortem ab hominibus illudi, & iniuriose tractari, ita etiam decessit post mortem honorari, ut eius virtus, & diuinitas ostenderetur, ut Chrysost. etiam notauit in demonstratione, quod Christus sit Deus. Et hac ratione, speciali Dei prouidentia factum est, ut honorifice sepeliretur, ergo. Propter hanc fortasse causam, quidam hæretici dixerunt Christi corpus ante mortem fuisse lancea vulneratum. Cuius hæresis autor dicitur fuisse Petrus Ioannes, ut refert Guido Carmelita, & ex illo Castrus lib. 5. contra hæres. verbo Christus hæres. 10. & Præteolus lib. 14. elenchi hæresum, in 20.

Dicendum vero est primo: corpus Christi post mortem, antequam de cruce deponeretur, lancea vulneratum esse, eiusque latus apertum. Assertio est de fide, quam contra prædictam hæresim definiuit Clemens V. cum concilio Vienenfi, in Clem. de summa Trinitate & fide Cathol. & probatur expressis verbis Ioannis 19. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit. Quæ verba licet expressa sint: tamen ab illo hæretico ita corrumpebantur, ut per recapitulationem postrema verba exponeret, & loco illius præteriti, Aperuit, poneret præteritum perfectum, Aperuerat, ut facilius posset referri ad illud tēpus, in quo Christus adhuc vivebat. Quæ falsam interpretationem damnare voluit prædictum concilium, cum dixit. Nos igitur ad eam præclarum Evangelistæ testimonium, & sanctorum Patrum, ac doctorum communem sententiam, Apostolicæ considerationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) faciem conuertentes, sacro approbante concilio, declaramus prædictum Apostolum, & Evangelistam Ioannem rectum in præmissis facta rei ordinem tenuisse, narrando, quod Christo iam mortuo, vnus militum lancea latus eius aperuit. Et verba Ioannis satis conuincunt, nam exponere, aperuit, id est, aperuerat, non est interpretari, sed corrumpere scripturam. Deinde, aduersariua illa, sed vnus militum, &c.

Nn 3 planq

Ut enim Origenes notat libro 2. contra Celsum, ideo A Christus non permittit ossa sua confringi: sed integrum corpus manere voluit, ut significaret cito esse resurrecturum; multo magis ergo permittere non debuit corpus suum putrefieri, aut in cineres solui.

In solutione ad secundum sentit D. Thomas corpus Christi mortuum, ac suæ naturæ relictum naturaliter fuisse corruptendum, atque adeo diuinæ virtutis fuisse, omnino incorruptum conseruari. Quæ sententia communis est Theologorum in 3. dist. 21. (vbi præsertim videri possunt Scotus, & Gabriel) & omnino indubitata videtur. Quia necessario sequitur ex vera compositione mortalis corporis ex quatuor elementis, atque humoribus. Quo circa sicut in priori tomo q. 14. ostendimus, Christi corpus mortale, sublata omnipotentia diuinæ, necessitate quadam naturali fuisse subiectum passionibus corporis: ita dicendum est de corpore iam defuncto quoad vltiorem corruptionem, ac resolutionem, nisi diuinæ virtute specialiter conseruaretur.

Contra hanc vero doctrinam citari solet Henricus quodl. 12. quæstion. 12. dicens corpus illud ex vi solius vnionis non potuisse naturaliter corrupti, hoc genere corruptionis. Cui sententiæ fauet Damascenus lib. 3. de Fide cap. 28. dicens corpus Christi fuisse incorruptibile illo genere corruptionis. Sed in hoc non potest esse inter Catholicos controversia, nisi fortasse in modo loquendi. Et in primis Damascenus se ipsum exponit, dicens. Secundo corruptionis significatio (scilicet per resolutionem) incorruptibile hoc est, interitus expers corpus Domini consistemus, quem admodum pater nobis tradiderunt: solum ergo appellat incorruptibile, quia secundum diuinam prouidentiam non potuit talem corruptionis modum pati. Quod recte exposuit Elias Cretenensis super orationem primam Nazian. his verbis. Cum Domini corpus, ut communem cum omnibus essentiam habens, mortale esset, proinde etiam ut alia similia, mortem obibat: at vero ob Verbi in ipsum incarnationem; non iam ut ipse natura consentaneum erat corrumperetur, verum ob inhabitantem in ipsum Deum Verbum, à labe, à corruptione integrum seruabatur. Atque admirabili modo hæc duo concurrerunt, nempe ut omnium hominum mors in dominico corpore impleatur, & item mors, ac corruptio propter socium Verbum extinguatur. Quo circa cum hoc genus prouidentie præseruationis esset quodammodo debitum ratione vnionis, potest dici quodammodo naturale, non quia sola vnio per se, ac formaliter sumpta sufficeret ad præseruandum illud corpus à corruptione, nec quia intrinseca dispositio, & qualitas illius corporis natura sua non esset corruptioni obnoxia. Neque enim existimandum est corpus illud statim post animæ separationem fuisse aliqua intrinseca qualitate affectum, quæ vim haberet resistendi omni corrupti, omnemque peregrinam alterationem impediendi, hoc enim sine vilo fundamento, vel autoritate fingeretur. Huiusmodi enim dispositionem consequutum est illud corpus per resurrectionem: antea vero tale permansit, quale exterius apparebat, & ideo lancea aperiri potuit, & potuissent etiam crura eius confringi, si Deus permitteret, & potuit etiam frigi fieri: ac denique de facto passum esse huiusmodi alterationes, vsque ad illum gradum, in quo naturaliter posset conseruari absque vlla putrefactione. Neque Henricus loco citato docet oppositum, imo expresse dicit, quod illud corpus esset putrefactum cursu naturali, & miraculose fuerit præseruatum. Ad dit vero, hoc miraculum sequi ex prior vnione, & ideo fuisse futurum diuinam prouidentiam ita ordinante etiam si diu dilata esset resurrectio.

Sine causa ergo Scot. in 3. d. 21. qu. vnica Henricum reprehendit, & cum eo de modo loquendi potius, quam de re ipsa contendit.

Fr. Suarez. tom. 2.

Scotus.
Gabr.
Corpus
Christi de-
functum
sua natura
obnoxium
corruptioni.

Obiectio.
Henric.

Damasce.

Elias Cre.

Scotus.

Chrysost.

Guid. Carl.
Castr.Corpus
Christi post
mortem de
cruce pen-
dens lancea
perforatum
Clemens V.
Ioan. 19.
Con. Vienn.

Chryso.
Cyrill.

Corpus fuit
Christi
lancea ape-
ritur cur per-
misi Ioan.

Dubium.
Eua de costa
Adæ dormi-
entis educta
figura Eccle-
siae de latere
Christi de-
finita for-
mata.
Gen. 2.
Ephes. 5.
Clem. Pap.
Eucher.
Rupert.
Hieron.
Augustin.
Leo Pap.
Tertul.

Ambros.

Ruffin.

Responsio.
Christum
in sinistro
latere lancea
vulneratum
verisimile
est.
D. Thom.
Augustin.
Theodor.
Rupert.

plane ostendit, id factum esse ab vno milite, postquam A alij decreuerant Christi crura non frangere, eo, quod eum iam mortuum inuenissent. Ratio vero huius facti, si ex parte militis percutientis inquiratur: dicere possumus cum Chrysostomo homil. 84. in Ioan. & Cyrillo lib. 12. cap. 39. id fecisse, ut ve exploraret, an vere Christus mortuus esset, vel certe, si non esset, ut eum omnino interficeret, quod facere etiam potuit, ut Iudæis placeret, vel temeritate quadam, ac ferocia militari. Ante vero, quam mortuus existimaretur, nemo ausus esset tale vulnus infligere: tum quia in crucifixorum supplicio hoc non continebatur: tum maxime, quia crucifixi permittentur paulatim mori, nec solebat accelerari eorum mors aliis vulneribus inflatis. Et ideo licet Iudæi cuperent eo die crucifixorum corpora cito de cruce deponere, non sunt ausi eorum maturare mortem: sed à Pilato id petierunt. Si autem ex parte Dei, & Christi ratio inquiratur, permittit ipse lancea latus suum aperiri, primo ut magis testata esset, ac confirmata eius mors, quis enim dubitaret mortuum, cuius latus post tot ac tanta tormenta lancea apertum conspiceret? Secundo, ut idem vulnus testimonium postea esset veræ resurrectionis, quemadmodum Thomæ fuit. Tertio propter mysteria sanguinis & aquæ, quæ statim explicabimus. Propter quæ etiam voluit mortuus potius, quam viuus hoc vulnus suscipere, ut prius intelligeretur consummata redemptio per mortem, à qua virtus sacramentorum fluxit, & per quam ianua regni aperta est. Quæ omnia in apertione lateris, & in effusione sanguinis, & aqua significabantur. Et præterea voluit Christus ante hoc vulnus mori, ut non tam extrinseca necessitate ferientis militis, quam propria voluntate animam tradidisse crederetur.

Quod si quis inquirat, quo in latere Christus fuerit percussus, dextro, an sinistro? Nullum firmum, accertum responsum præbere possumus, quia neque Scriptura id explicat, neque apud antiquos Patres aliquid hac de re scriptum inuenitur. Solum dicunt omnes in hoc mysterio impletum esse, quod in Adamo, & Eua fuerat præfiguratum, quando Eua de latere Adæ dormientis formata est in figuram Christi, de cuius latere dormientis in cruce formanda erat Ecclesia, ut significauit Paulus, dicens ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, & notauit Clemens Papa in prædicta Clementina, & Eucherius Rupert, & alij in Genesim, Hieronymum, ad Ephes. 3. Augustinus, tract. 9. in Ioann. & lib. 9. in Genesim ad liter. c. 19. & Leo Papa, epist. 22. & alij quos retuli in priori tomo q. 1. in comment. art. 3. Quibus adde Tertullianum lib. de anima cap. 43. sic de Adamo loquentem. Inde deducimur etiam imaginem mortis iam tunc eum recensere, si enim Adam de Christo figurabat, somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, ut de iniuria perinde lateris eius vera mater viuentium figuraretur Ecclesia. Hinc Ambrosius libro 5. de sacram. ca. 1. sentit in eo latere fuisse Christum vulneratum, ex quo Eua formata fuit. Quare (inquit) de latere? quia vnde culpa, inde gratia: culpa per feminam, gratia per Dominum Iesum Christum. Et Ruffinus in expositione Symboli, Si quæres (inquit) cur non ex alio membro, sed ex latere porius produxisse dicatur aquam, & sanguinem: Videtur mihi in latere per costam mulier indicari, quia fons peccati, & mortis de muliere prima, quæ fuit primi Adam costæ, processit fons redemptionis, ac vnde de secundo Adam costæ producit. Conieciunt autem viri docti, & eruditi Eua de sinistro latere fuisse formatam, in quod vergit cor humanum: propter summum amorem, qui inter virum, & vxorē esse debet. Eam enim ob causam formata est femina ex viro, ut notauit D. Thomas 1. p. quæst. 92. artic. 2. & Augustinus 12. de Ciuitat. cap. 25. Theodoret Rupert, & alij in Genesim. Hinc ergo coniecere possumus Christum in latere sinistro fuisse vulneratum, tum ut res figuræ respon-

deret: tum etiam, ut indicaretur summa eius charitas erga sponsam Ecclesiam, cuius amore vulneratum erat cor eius, iuxta illud. Vulnerasti cor meum. Et eodem amore vulnerari voluit in ea potissimum parte corporis, quæ eius cor hominibus quasi patere posset, intelligenterque sibi apertum ostium per quod in cor Christi ingredi, illicque possent requiescere. Vnde Augustinus in Manual. cap. 73. Longinus (inquit) aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intraui, & ibi requiesco securus. Possumus item literalem rationem adiungere, quia si miles Christum vulnerauit exploraturus, aut certe perfecturus mortem eius, verisimile est, cor eius voluisse transfigere. Denique si diuina prouidentia hoc permisit, ut mors Christi esset magis testata, & euidentis: conuenientius etiam fuit, ut in sinistro latere percuteretur. Video tamen huic probabili coniecturæ ob stare frequentem vsum pingendi imagines crucifixi in dextro latere vulnerati: solet autem hæc pictura in Ecclesia habere auctoritatem, quoniam indicium est antiquæ traditionis, & confessionis Ecclesiæ. Sed nõ constat hanc consuetudinem esse vel vniuersalem, vel antiquam. Quare non est, quod nos multum moueat, quanquam nihil etiam sit temere affirmandum.

Secundo dicendum est verum sanguinem, veram que aquam de latere Christi aperto fluxisse. Hæc conclusio est de fide definita ab Innocentio in capit. In quadam, de celebratione missarum, contra quosdam, qui negabant exiisse veram aquam, sed pituitam, sed phlegmaticum quendam humorem, quem dicebant aquam appellatum, quia in eo aqua prædominatur. Verba autem Ioannis in propria significatione esse intelligenda semper Ecclesia intellexit, & veritas scripturæ hoc requirit: nam in enarratione præsertim historiarum non fuisse Ioannes vsus verbis improprie, & metaphorice. Deinde inquiratur aquam improprie interpretentur. Respondent, quia non poterat naturalis aqua de corpore humano naturaliter exire. Sed in primis non defuerunt Catholici, qui hoc negarent. Nam ut refert Abulensis par. 2. cap. 29. & 30. quidam dixerunt in corpore humano, cum primum recedit anima & incipit frigidescere, naturaliter generari aquam per resolutionem phlegmatis, & ita potuisse accidere in corpore Christi. Quæ sententia præferenda esset præcedenti: si aliter veritas historiarum Evangelicarum consistere non posset: sed non indiget Evangelicæ veritas Philosophica fictione. Quia nec vera aqua tam cito potuisset generari naturaliter, ubi non erat principium à quo generaretur, alioqui fluxisset etiam per foramina clauorum, & ex quo cunque corpore humano iam mortuo post aliquas horas posset naturaliter aqua educi, quod repugnat experientia. Concedendum est ergo id non potuisse naturaliter fieri, nec tamen propterea negandum est, fuisse veram aquam. Quia etiam non poterat de corpore mortuo naturaliter sanguis effluere, & nihilominus sanguinem proprie interpretamur, quæ ne ipsi hæretici negare ausi sunt. Vtrumque ergo miraculose accidisse ad mysterium aliquod significandum Patres Ecclesiæ docent. Primo ut veritas humanæ naturæ assumptæ illo testimonio probaretur, de quo dixit Ioan. 1. Cap. non. cap. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Spiritus enim clamore valido emissus, & in paternas manus commendatus testis fuit, in Christo fuisse veram animam rationalem: sanguis vero, & aqua significarunt corpus Christi fuisse verum humanum corpus compositum ex quatuor humoribus, quorum præcipuus est sanguis, & ex quatuor elementis, quorum vnus est aqua, quæ ad huiusmodi ministerium magis erat accommodata, quam cætera. Secundo in sanguine, & aqua significatum est, Ecclesiam, pretio sanguinis Christi fundandam, atque abluendam esse. Vtrumque enim fit per baptismum, qui in aqua confertur, & in sanguine Christi.

Can. 4.

August.

De latere
Christi in
Cruce verus
sanguis & aqua
manauit
Innoc. Pap.

Ioan. 1.

Chr. sanguis
& aqua de
latere Christi
manauit,
ne Chri.

ne Christi habet efficaciam, iuxta illud Pauli ad E-
phes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum iradidit pro
ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquae in
1 Ioan. 5. verbo vitae: & illud Ioann. 5. Hic est, qui venit per aquam,
& sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum, sed in a-
qua, & sanguine, id est, non in aqua tantum significati-
ua, qualis erat in lauacris Iudeorum, & in baptis-
mo Ioannis: sed in aqua, quae efficaciam haberet ex
sanguine Christi iam effuso. Et propter hanc etiam
causam, haec effusio sanguinis Christi non est facta
ante mortem, quia tota haec virtus sanctificandi &
fundandi Ecclesiam ex morte Christi potissimum
dimanauit. Vnde Ambros. lib. 5. de sacramen. cap. 1.
Quare aqua? quare sanguis? aqua ut emundaret, sanguis
ut redimeret. Et hoc sensu intelligendi sunt Patres,
cum dicunt in hoc vulneris lanceae, fluxuque sangui-
nis, itaque significatam esse Ecclesiae formationem
ex latere Christi dormientis in cruce, ut Cyprianus
lib. de montibus Sinai, & Sion in fine, Percussus (in-
quit) in latere lanceae, sanguis & aqua mistus profusus flue-
bat, vnde sibi Ecclesiam sanctam fabricauit. Vnde vltre-
ius in huiusmodi sanguine, & aqua significata sunt
omnia sacramenta Ecclesiae, quae ex Christi morte
habent efficaciam. Aqua enim indicat baptismum,
qui est ianua, sanguis vero Eucharistiam, quae est
finis, & consummatio sacramentorum, & ideo sub
his duobus reliqua comprehenduntur. Et hoc sensu
dicunt etiam Patres per hoc mysterium indica-
tum esse, omnia sacramenta de latere Christi ma-
nasse, citauit plures in priori tomo disput. 39. sect. 3.
quibus addi possunt: Cyprian. sermon. de passione
Christi, in fine dicens: De latere tuo fons egreditur in vi-
tam aeternam profluens, & infra: Ex hoc fonte non tantum
ablutionis prima, qua initiatur accedentes ad Christum,
vndas haurimus, sed & compunctionem, & lacrymarum
perennes effluunt riuus, misericordiarum suauitas, & totius
pietatis effectus emanat. Tu Domine Sacerdos sancte, qui in
tempore iacundiae factus es reconciliatio, sancti huius sangui-
nis permanentem plenitudinem reliquisti, & beneficium
huius sancti liquoris in perpetuum tradidisti, & constituisti
nobis inconsumptibiliter potum viuificum, crucis signum,
& mortificationis exemplum. Et eleganter Tertullianus
lib. de baptismo. cum cap. 9. dixisset, etiam in
passione tua Christum dedisse testimonium baptis-
mo aquae, cum vulneratus es, & aqua de latere prorupit,
subdit cap. 16. Est quidem nobis secundum lauacrum, & ip-
sum sanguinem, de quo Dominus. Habeo (inquit) baptis-
mum tingi, cum iam tinctus fuisset, venerat enim per aquam, &
sanguinem, sicut Ioannes scripsit, ut aqua tingeretur, sanguine
glorificaretur, proinde ut nos faceret aqua vocatos, sanguine
electos, hos duos baptismos de vulneris perfossi lateris emisit.
Quia qui sanguinem eius crederent, aqua lauarentur: qui
aqua lauissent etiam sanguinem potarent. In quibus ver-
bis tertium etiam mysterium indicat, in aqua scilicet,
& sanguine duplex fidelium baptismus, nimirum
sanguinis, seu martyrii, & aquae, seu sacramenti
baptismi significatum esse. Quod mysterium nota-
uit clarius Ruffinus dicta expositione symboli di-
cens: Potest etiam intelligi, quod duplicem gratiam bap-
tismi figuraueris, vnam, quae datur per aquae baptismum, a-
liam, quae per martyrium profusione sanguinis queritur.
Idem mysterium notauit Hieronymus, epist. 83. ad Ocea-
num dicens: Latus Christi percussit lancea, baptismi,
atque martyrii pariter sacramenta fundantur. Vltimum
mysterium adiungi potest ex eodem Rufino eodem
loco his verbis: Hoc quidem mysticum est (videlicet ef-
fundere sanguinem, & aquam). Ipse enim dixerat, quia
flumina de ventre eius procedent aqua viuae, sed produxit,
& sanguinem, quem petierant Iudei venire super se,
& super filios suos. Produxit ergo aquam, quae creden-
tes diluas: produxit & sanguinem, qui condemnet incre-
dulos.

Vnum vero potest hoc loco desiderari, scilicet,
quomodo sanguis, & aqua fluxerint, an permixta,
vel separata. Nam in citato loco Cypriani lib. de Si-

na, & Sion dicitur effluxisse sanguis aqua mistus. Di-
cendum vero sine dubio est, exiuisse impermixta, &
loco separata: Tum quia hoc significant verba Io-
annis: Fluxit sanguis, & aqua. Tum etiam quia alias
non potuisset aqua à sanguine discerni: & tamen in
predicto modo dicendi significatur distinctè potuisse
cognosci, & oculis videri. Quod significatum
est etiam illis verbis: Et qui vidit, testimonium perhi-
bit. Non enim loquitur Ioannes illis verbis de alia
persona, à se distincta, ut videntur intellexisse, qui
finxerunt eum, qui Christum percussit, fuisse cae-
cum, appellatumque Longinum: atque illo liquore, qui
de latere Christi exiuit, visum recuperasse, atque ita de
illo scriptum esse, Vidit & testimonium perhibuit. Hoc
enim apocryphum est. Neque villo modo est verisimile
militem illum, qui Christum percussit, fuisse
caecum. Qualis enim esse potest caecus miles? Neque
etiam constat appellatum esse Longinum, sed po-
tius fertur centurionem eum, qui, exclamauit, Verè
filius Dei erat iste, fuisse Longinum illum, qui postea
martyr fuit, ut videre licet apud Lippomanum. to.
6. & Surium, tom. 2. ex Metaphras. die 25. Martij, &
16. Octobris. Igitur Ioannes in tertia persona de sei-
pso loquitur, ipse enim vidit, & testimonium perhi-
bit, & verum scribendo dixit. Non potuisse autem
(nisi aliud miraculum non necessarium fingamus)
videre aquam, & sanguinem exeuntem, nisi discre-
tè effluerent. Vnde Cyprian. serm. de passi. Christi.
De latere (inquit) tuo fons egreditur in vitam aeternam
profluens, & de eadem, consubstantialis, origine diuisis li-
mitibus aqua, & sanguis emanant, ad complementum,
perfectionemque, totius iustitiae. Duobus autem modis
excogitari hoc potest. Primo ut simul tempore a-
qua, & sanguis exierint, per duersas tamen partes
eiusdem foraminis: & si hoc modo factum est, non
potuit fieri sine nouo miraculo, ut non permisce-
rentur.

Secundo intelligi potest, prius totum sanguinem
exiisse: deinde vero aquam manasse. Et hic modus
videtur facilius, & accommodatus tum ordini
narrationis Ioannis, tum etiam mysterio. Pri-
mus enim Christus suum sanguinem effudit: mul-
tique pie meditantur totum sanguinem suum in
passione fuisse: & in huius rei signum, ac testimo-
nium, id quod reliquum erat, accepto lanceae vulne-
re profudisse. Postea vero effuso sanguine, & quasi
pretio soluto, manauit aqua, quae virtutem sanctifi-
candi ab illo sanguine habitura erat. Vnde Hierony-
mus dicta epist. ad Oceanum, tractans simul hunc locum,
& illam Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. in-
quit, Quia ab equis caperat, finiuit in aquis. Quod si
per aquam fidelem populum significatum esse in-
terpretemur (solent enim in scriptura aquarum no-
mine populi significari) rectè etià consonat, ut post
effusum omnino sanguinem de latere Christi, intel-
ligatur Christianus populus, seu Ecclesiae corpus de
illius latere exiuisse. Denique haec etiam successio
effusionis aquae post sanguinis effusionem, aptissima
esse potuit, ut vtriusque effusio clare, ac distinctè di-
cerneretur.

Ad rationem ergo dubitandi in principio posi-
tam, respondetur. Quamuis vulnus lanceae non
fuerit necessarium ad meritum, vel satisfactionem:
ad mysterium autem, & veritatis confirmationem
fuisse vtilissimum. Addo etiam, quoniam Christus
ante hoc vulnus nondum totum suum sanguinem
effuderat, atque effusum ostenderat, ideo quo-
dammodo dici posse, nondum fuisse finitum tem-
pus patiendi in corpore. Illo autem vulnere susce-
pto finita fuit abiectio passionis, & honor glorio-
se sepultura paulo post incepit, in quo satis virtus
omnipotentia morientis demonstrata, ut Chryso-
stomus citato loco, & D. Thom. artic. 2. ad 1. adno-
tarunt.

*Amala.
Aug. vid.*

malarius, Hugo Victorinus, ac fere alij, qui de sacramentis, & diuinis officiis scribunt.

*Christi corpus unctum,
& aromatatum
ante sepulchrum.*

De posteriore autem parte, scilicet vnctione corporis Domini, iam supra diximus de quantitate illius vnquenti: de qualitate vero omnes scriptores dicunt fuisse illa aromata efficacia ad præseruandū cadauera a corruptione, vt diutius conseruari possint. Quorū vsus frequens erat apud Iudæos, vt Evangelista dixit, indicans voluisse Christum in huiusmodi rebus, quæ ad pietatem spectabant, & quodammodo necessaria esse videbantur, gentis suæ morem seruari, seque communi consuetudini conformare, vt ex Aug. recte D. Thom. explicuit citato loco ad 2. & 3.

Chrysost.

Vnum vero hinc nascitur dubium, quod ab authoribus prætermittitur, quamuis re vera expositione indigeat. Dicunt enim omnes, Iosephum & Nicodemum vnxisse corpus Domini eo animo, vt diutius incorruptum seruarietur. Vnde Chrysost. hom. 84. in Ioan. eos imperfectæ fidei arguit, dicens: Adhuc de eo tanquam de puro homine opinabantur, & ea ferunt aromata, quæ maxime corpora seruari solent, quod nihil magnum de Iesu ipso existimare arguebat: multum tamen amorem præferunt. Ex qua doctrina nascitur dubium. Nam si hi viri vnixerunt corpus Christi propter præservationem, ergo oportuit eos sacrū illud corpus exenterare, & intestina extrahere, vt intus, ac foris illud vngere possent. Patet sequela, tum quia illi vltimo more vnixerunt corpus: hic autem est mos vngendi corpora, quando propter præservationem vnguntur. Tum etiam, quia alias inutilis & inefficax esset vnctio. Næ externa vnctio in superficie corporis non potest impedire, quominus interiora corrumpantur, præsertim cum illa propter fæces, quæ sunt intra corpus, & propter magnā humiditatem valde subiecta sint corruptioni. Consequens autem est absurdissimum. Et sane propter hanc maxime causam hoc dubium prætermittendum non est, ne fortasse aliquis casu in illud incidens, ita de Christi corpore sentire auderet. Est enim reuera impium, & ab omni Ecclesiæ sensu alienissimū. Repugnat etiam simplici narrationi Evangelistarū, prout ab vniuersa Ecclesiā semper intellecta est. Solum enim inquit fuisse vñctum aromatibus, inuolutum sindone, linteisq; ligatum. Item Ecclesiā semper intellexit quinq; tantum vulnera Christum in suo corpore suscepisse, nõ ergo exenteratum fuisse, quod pia aures exhorrescunt.

Dubium.

Responsio.

*Christi corpus aromatatum
ante sepulchrum.*

Ad difficultatem ergo dici potest primo, licet ea vnctio fieret propter præservationem aliquam, non tamē fuisse adeo perfectam, & exactam, sicuti apud nos interdum fieri videmus. Neque enim credibile est communem mortem sepeliendi huiusmodi fuisse. Quamuis ergo intenderetur præservatio, non tamen adeo diuturna: sed qualis per externam vnctionem haberi posset. Deinde, fortasse non improbabilius dici potest, huiusmodi vnctionem non fuisse solitam fieri propter præservationem: sed honoris ergo & propter decentiam quandam, ne fœtorem aliquem corpora exhalarent. Sicut etiam solebant Iudæi lauare cadauera, vt ex Act. 6. colligitur, quæ consuetudo etiam in Ecclesiā antiqua est, vt colligitur ex Gregor. lib. 3. dialog. cap. 17. & lib. 4. cap. 16. & 27. & tamen illa ablutio non fit propter præservationem, sed propter decentiam, & in benevolentie signum. Ita ergo facile introduci potuit, vt propter easdem causas lotioni adiungeretur vnctio, & ita fortasse factum est in hac vnctione corporis Christi Domini. Quod si hoc verum est, facile Iosephus, & Nicodemus ab ignorantia, & infidelitatis nota liberari possunt. Nam licet sapientissime de Christo sentirent, & proximam illius resurrectionem sperarent, religiose admodum, ac pie potuerunt corpore eius prædicto animo, atq; intentione vngere.

Ad 6.

Greg. Pap.

A Tercio, locus hic postulat, vt explicemus, quid B. Dubium de Virgo tempore huius mysterij passa sit, præsertim B. Virgine.

quando filium mortuum, ac de cruce depositum in vlnis suscepit. Est enim cōmunis vulgi opinio, beatam Virginem eo tempore passam esse spasimum, id est præ nimio dolore sensum amisisse, atque interram corruisse. Cui opinioni fauet etiam communis pictura. Nec desunt sancti Patres, & graues scriptores, qui hoc modo de Virgine loquantur, quamuis non omnes explicent in hoc mysterio potius, quam in alijs spasimum ei accidisse. Alij enim hoc affirmant de eo temporis articulo, in quod Beata Virgo Christo crucem ferenti occurrit. Vnde qui historiam, seu terræ sanctæ situm describunt, dicunt in via Caluarie fuisse templum, cuius ruina nunc extant, quod Sancta Maria de Spasmo diceretur, quia in eo loco B. Virgo occurrit filio portanti crucem, & præ dolore quasi exanimis concidit: & sanctus Bonauentura. libr. meditat. vitæ Christi, cap. 77. de hac re loquens. Cernens (inquit) eum oneratum ligno tam grandi, quod primo non viderat, semimortua facta est præ angustia, nec verbum ei dicere potuit. Alij vero hoc referunt ad illud tempus, in quo B. Virgo conspexit Christum nudū super crucem extendi, vt crucifigeretur. Vnde Anselm. dialogo. de passione Domini ex persona Virginis sic inquit. Cum venissent ad locum Caluarie ignominiosissimum, nudauerunt Iesum filium meum totaliter vestibus suis, & ego exanimis facta fui. Alij de toto tempore crucifixionis id affirmare videntur. Vnde in opusculo de lamentatione Virginis Mariæ, quod habetur inter opera Bernardi, sic dicitur. Iuxta crucem Christi stabat emortua mater, quæ ipsum ex Spiritu Sancto concepit: vox illi non erat, quia dolore attrita iacens pallescebat, quasi mortua viuens vivebat moriens, moriebatur viuens, nec mori poterat, quæ viuens mortua erat. Et ad eundem modum loquitur Bonauentura supra capit. 79. Credo quod vel propter angustiarum multitudinem absorpta erat, & quasi insensibilis facta, vel semimortua facta est, nunc quidem multo magis, quam cum obuiavit ei crucem portanti: & capit. 80. idem clarius affirmat accidisse Virgini, quando Christus lancea est vulneratus. Tunc (inquit) mater semimortua cecidit inter brachia Magdalenæ. Et similia reperientur apud alios, qui meditationes vitæ CHRISTI scripserunt, quos ex parte supra retuli, disputation. 4. section. 3.

Bonauent.

Anselm.

Bernard.

Bonauent.

D Dicendum autem est, cum sit certum, Beatam Virginem toto tempore passionis Christi huiusmodi animi, & corporis affectionem passam non esse: certius tamen esse, atque euidentius multo minus in depositione Christi de cruce aliquid huiusmodi ei accidisse. De priorē parte huius sententiæ dixi nonnulla supra, disput. 4. sect. 3. vbi præter auctoritatem Ambrosij, Anselmi, & Bernardi, eam probavi ex verbis illis Ioannis cap. 19. Stabant autem iuxta crucem Iesu Maria mater eius, &c. quæ veritatem hanc mihi convincere videntur, sicut & fere omnibus grauioribus expostitoribus visum est. Si enim eo tempore, quo Christus Dominus maiorem ignominiam, maximosq; dolores sustinebat, nimirum dum viuus in cruce penderet, Beata Virgo stabat iuxta crucem inter hostes Christi sine vilo timore, & absque animi deiectione, & infirmitate, quo modo credibile est, in aliquo alio passionis tempore sensum, aut constantiam amisisse? Nam si quid eiusmodi B. Virgo passura fuisset, maxime ex nimio dolore, atque magnitudine tristitiæ: sed tunc maxime doluit, quando filius magis dolebat (erat enim affectu, & animo cum eo crucifixus) filius autem grauissimum dolorem in cruce pendens viuus pertulit, ergo tunc maxime debuisset Virgo spasimum pati: certum est autem ex verbis Ioannis, tunc nihil huiusmodi passam esse, ergo. Denique ratio vniuersalis est, quia B. Virgo semper habuit perfectum dominium super omnes affectus, affectusque suos, atque ita regerebat.

Responsio.

Quod B.

Virgo in depositione corporis Christi

de cruce sensum

non perit.

Ambrosij.

Anselm.

Bernard.

Ioan. 19.

regebat omnes motus portionis inferioris, ut nihil indecorum, nihil dissonum in ea esse permetteret. Erat autem valde indecens, propter inferioris partis tristitiam, ac perturbationem, corporis viribus, & rationis usu priuari: non igitur admittit in se B. Virgo talem affectum, sed quamuis acerbissime doleat, ita tamen moderabatur affectum suum, diuinum beneplacitum, ac gloriam, fructumque passionis, & hominum salutem considerando, ut posset corpore, & animo constans inter dolores permanere. Quod si necessarium fuit, etiam diuina virtus, & gratia intercessit, quæ & rubor, ac vires corpori adderet, & humores corporis quasi contineret, ne præ doloris acerbitate nimium commoueretur. Ex qua ratione colligitur B. Virginem non solum non passam esse spasmodum: verum etiam neque aliquid egisse indecorum, quod non summam modestiam præ se ferret: sed (ut recte loquitur, Ant. 4. par. theolog. t. 15. ca. 41. §. 1.) *Stabat verecunda, modesta, lacrymis plena, doloribus immerita, ita tamen diuina voluntati conformis, quod (ut Anselmus ait) si oportuisset, ad implendam secundum rationem voluntatem Dei, ipsa filium in cruce posuisset, atque obtulisset. Neque enim minoris fuit obedientie, quam Abraham.*

Antoninus

Et ex ijs tandem euidenter conuincitur posterior pars. Quia quando Christus deponebatur de cruce, iam non sentiebat dolorem, iamque à multis agnoscebatur, atque honorifice tractabatur, quæ omnia multum poterant dolorem Virginis lenire. Deinde resurrectio eius propinquior erat, de cuius fide B. Virgo erat certissima, & verisimile est ea spe sæpius animum suum erexisse, atque vires resumpsisse. Non est ergo in hac parte credendum picturis, quæ ex vulgi opinione introduci potuerunt. Quia fortasse non valuerunt aliter eximium virginis dolorem picturæ exprimere. Autores vero, (qui in contrarium adducuntur) in primis non sunt admodum antiqui: antiquiores non solum illo modo non loquuntur: sed etiam contrarium sepe indicant. Deinde aliqui ex illis libris, qui afferuntur, incerti sunt, præsertim liber ille de lamentatione Virginis inter incerta Bernar. opera ponitur, Dialog. etiam de Passione Ansel. adscriptus mihi est valde suspectus, cum quia stylus non redolet Anselmum, tum etiam quia multa in illo continentur, quæ nec grauitate, nec doctrina Anselmi digna videntur. Ut v.g. quod B. Virg. cepit clamare, & euolare, quando Christus lanceæ vulnus accepit. Denique etiam illi Patres non omnes expresse loquuntur: Anselmus enim in vno loco dicit, *Quasi ex animis*, in alio vero, quamuis dicat, *Ex animis facta sunt*, statim vero explicat non amisisse sensus officia. Dicit enim accepisse illico Virginem velamen capitis, ut Christum regeret. Itaque verbum illud *Ex animis*, solum est positum ad explicandam acerbitatem doloris: eademque fere est Bernardi, & Bonauent. sententia. Nam per exaggerationem quandam locuti videntur, ut loco etiam supra citato dixi.

SECTIO III.

Utrum expediens fuerit Christum sepeliri.

Ratio dubitandi esse potest. Nam corpora defunctorum propter alterutram ex duabus causis solent sepeliri: scilicet aut propter viuos, aut propter ipsū defunctum. Propter viuos quidem, vel ad eorum consolationem. Nam, ut Aug. dixit lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 12. *Sepultura mortuorum solatia sunt viuorum, dum eos, quos amabant, prout possunt, honorant, atque honeste collocant.* Vel ad utilitatem corporalem, neque enim ferre possent corpora corruptioni obnoxia. Vel etiam ad spirituales quendam fructus, non sepeliendo corpora mortuorum, fidem resurrectionis se habere testantur, & de futura morte frequenter admonentur. Propter defunctos vero: tum quia eorum honori consulitur, ac famæ; quatenus adhuc

August.

manent in memoria hominum: tum etiam, quia hoc modo plura pro eis sunt suffragia, ac frequentius oratur. At vero in Christo Domino neutra harum rationum locum habebat, cum enim Christi corpus, & propter unionem ad Verbum corrumpi non posset, & paulo post fuscitandum esset, propter se non indigebat sepultura: quia neque indigebat hominum suffragijs, aut orationibus, neque ab eis honorem quærebatur, maiorque fuisset is, si eorum discipuli præsentem corpus semper haberent, ac venerarentur: & hoc etiam in maius ipsorum hominum commodum redundaret. Fuisset enim præclarior Christi confessio, ac protestatio, maiorque charitatis opus, atque indicium, igitur conuenientius fuisset corpus Christi sepultura non tradi. Et confirmatur, quia si tradendum fuit sepultura, debuisset saltem in loco sacro sepeliri, & sacris potius caeremonijs, ac ornatu, nimirum cum Psalmorum & hymnorum cantu, & c. quam humano, ac solum exteriori cultu.

Dicendum vero est primo, valde conueniens fuisse Christi corpus tradi sepultura. Hæc assertio intelligi potest, vel ex parte ipsius Christi, considerando illud opus quasi passivum in ipso corpore. Et hoc sensu conclusio absolute est de fide, quæ satis probatur ex ipsa. Quia ita factum est non fine magna Dei providentia atque consilio. Quidquid enim Christus vel viuens, vel mortuus passus est, ut scilicet ex diuina ordinatione fuit: fuit ergo conueniens absolute, & simpliciter, siue hæc conuenientia sumenda sit respectu ipsius Christi, siue respectu nostri, hoc enim posterius

Christi corpus sepeliri decentissimum.

in presenti verius est. Christi enim corpus propter se non admodum egebat sepultura (ut recte probat difficultas in principio tacta) quamuis etiam fuerit decens eum post tam insignem mortem ab hominibus honorari, reuerenterque tractari. Respectu ergo hominum sumenda est præcipua conuenientia huius mysterij: ut notant Cyril. Aug. & alij supra Ioannem. Ac propterea Greg. Nazian. oratione. 1. scilicet dixit, *Mors aduersus mortem, & resurrectio propter resurrectionem*, ita etiam adiunxit, *Sepultura aduersus illam in terram reuersionem.* Circa quæ verba, sic inquit Elias, *Quoniam post transgressionem, istud Adamus audiuit, terra es: & in terram reuerteris: idcirco sepultura Christi afficitur, atque in monumento collocatur, ut Adamum hac condemnatione liberet. Ita Domini sepultura nostram in terram reuersionem delet.* Quod (ut supra dixi) non est intelligendum, ac si Christus per sepulturam nobis de nouo quicquam meruerit, sed quia ex vi præcedentis meriti, & quia voluntarie passioni se, & sepultura præiisse obtulit, illud corpus fuit potens ad liberanda nostra corpora ab illa maledictione, quam in Adamo incurrerant. Addit præterea D. Th. conuenientem fuisse Christi sepulturam ad nostram fidem de Christi morte, & resurrectione confirmandam. Nam in primis quia sepeliri non solent, præsertim à veris, & fidelibus amicis, nisi corpora vere mortua, neque vere resurgunt, nisi quæ veram mortem subierunt: ideo sepultura magnū fuit testimonium veræ mortis, & resurrectionis. Ac deinde ipsum quoque sepulchrum, & lapis ille superpositus perpetuum est monumentum, cum usque in hodiernum diem testis sit mortis, & resurrectionis Christi.

Cyril. August. Greg. Naz.

Elias Cris.

Vnde eleganter Petrus Chrysologus sermon. 47. tractans illa verba. *Angelus Domini descendit de celo, & accedens reuoluit lapidem:* inquit. *Non dixit, voluit, sed reuoluit lapidem; qui aduoluit probauit mortem, & reuolutus extitit resurrectionis assertor:* Beatus lapis, qui Christum reuelare meruit, & velare. Beatus, qui non minus corda aperit, quam sepulchrum. Beatus qui dat resurrectionis fidem, fideique resurrectionem. Mutatur hic ordo rerum, mortem, non mortuum deuorat hoc sepulchrum, & c. & similia multa habet sermon. 75. Hieronymus etiam epist. 27. (quæ est Epitaphium Paulæ) sic de illa loquitur. *Ingressa sepulchrum, resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amouerat Angelus, &*

Pet. Chrys.

Hieronym.

ipsum

Rom. 6.
August.

ipsum corporis locum in quo Dominus iacuerat quasi sitiens desiderat aquas fidei ore lambere. Denique etiam dicitur Christus sepulchus, ut mystice significaretur, nos esse cum illo spiritualiter sepeliendos, iuxta illud ad Rom. 6. *Consepulti enim estis per baptismum in mortem.* Vnde August. in Enchirid. capit. 53. *Quidquid (inquit) gestum est in cruce Christi, in sepultura, & in resurrectione, & ascensione, ita gestum est, ut in rebus non mystice tantum dictu, sed etiam gestu configuraretur vita Christiana, quæ hic geritur.*

Marc. 15.
Luc. 23.

Secundo intelligi potest conclusio posita de sepultura Christi ex parte discipulorum, seu ut erat actio sepelientium ipsum. Et hoc etiam sensu est de fide certa, nimirum opus illud sepeliendi Christum fuisse honestum, ac pium. Hoc patet primo ex modo, quo Evangelistæ narrat hoc factum. Ideo enim præmittunt Iosephum, & Nicodemum fuisse discipulos Christi, & Marcus de Iosepho addit. *Quia & ipse erat expectans regnum Dei*; & fufius Lucas: *erat [inquit] vir bonus, & iustus, hic non conserat consilio, & actibus eorum, quia expectabat & ipse regnum Dei.* Et de Nicodemo notat Ioannes, fuisse illum, qui venerat ad Iesum nocte primam, ut ipse narrauerat capit. 3. ut significaret, illum fuisse pium virum, qui que iam in Christum crediderat. Non autem ob aliam causam horum virtutes adnotantur Evangelistæ, nisi ut eorum factum studiosum, magnæque fidei, & charitatis fuisse indicarent. Secundo constat conclusio ex vniuersali consensu totius Ecclesiæ, & traditione omnium Patrum, tam exponentium Evangelia, quam mysteria vitæ, & mortis Christi tractantiū. Quin etiam addunt, reliquos Christi discipulos, qui ibi aderant, ipsamque Deiparam funeri Christi piā operam dedisse. Addit enim Simeon Metaphr. vitam Virginis describens, die 15. Augusti. Iosephum adhuc occultum discipulum, & timore detentum, Virginis hortatu fuisse excitatum, atq; animatum, ad Christi corpus petendum & sepeliendum. Tertiō, sepelire mortuos per se bonum est, atque honestum, ergo multo magis honestum fuit sepelire corpus Christi. Antecedens de fide certum est, ut patet ex vlu scripturæ. Abraham enim, & alij iusti semper habuerunt curam sepeliendi defunctos, & Iacob, atq; Ioseph præceperunt corpora sua sepeliri in terra promissionis, in qua Christus moriturus, ac sepeliendus erat: non præcepissent autem nisi rem honestam. Et 2. Reg. 2. David laudat eos, qui sepelierant corpus Saul dicens. *Benedicti vos à Domino, qui secistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelitis eum.* Denique Tobias inter alia plurimum laudatur, propter curā, quā habuit sepeliendi mortuos. Idem confirmat Catholica Ecclesiæ perpetua consuetudo. De qua videri potest Dionysius, capit. 7. de Ecclef. Hierar. Gregor. Nazian. orat. 4. quæ est 2. in Iulianum; Chrysostom. homil. 4. super Epist. ad Hebr. & Augustin. libr. de cura pro mort. agen. & libr. 1. de Ciuit. cap. 12. & 13. Vbi licet dicat vnumquemq; fidelium non debere multū esse sollicitum, quid post mortem circa corpus suum agendum sit: addit tamen, viuentes debere piā operam adhibere circa corpora mortuorum præsertim fidelium, ut ea sepelienda curent. Ratio vero est. Quia (ut dicebam) hoc opus & ad bonam hominum gubernationem est necessarium, & ad quoddam viuorum solatium, & ad aliquam vtilitatem ipsius defuncti, cuius etiā honori, & decentiæ hac in re consulitur. Est igitur hoc opus laudabile, & per se honestum. Prima vero consequentia patet, quia hoc obsequium magis erat Christo debitum, quam cuius alteri. Vnde Aug. & alij Patres notant voluisse Christum sepeliri, ut sub exemplo hoc pietatis opus probaret. Quia etiam

Nicophor

Curam pro defunctu gerere honestissimum.

Gene. 49. & 50.

2. Reg. 2.

Tob. 1. & 12.

Dionys. Greg. Naz. Chrysostom. August.

August.

Matth. 26.

Matth. 26. *Matheus enim vnguentum hoc ad sepeliendum me fecit.* Quocirca licet Christus propter se quodammodo minus hoc obsequio indigeret: ta-

ment etiam pertinuit ad decentiam quandam, & honorem illi debitu. Neq; propter spem resurrectionis proxime futuræ prætermittendum fuit. Nam (ut omittere eos, qui Christi sepulturā curabant, excepta Virgine, valde imperfectos fuisse in hac fide, & spe resurrectionis) ad maiorem eiusdem resurrectionis fidem poterat sepultura Christi pertinere, non solum propterea, quæ supra diximus: sed etiā, quia maioris fidei esse poterat credere, sine vlla difficultate posse Christum suum corpus & sepulchro quantumuis clauso, & grandi lapide obferato viuū educere. Ac deniq; magnæ fuit prudentiæ, cū aliunde nihil aliud de diuina voluntate constaret, Christi corpus humano more religiose, ac honeste curare.

Vnde dicendum est secundo, etiam modum funis Christi, pro loci, & temporis opportunitate fuisse conuenientissimum. Hęc conclusio eodem fere modo explicanda, & probanda est, ac præcedens. Nam si consideretur modus huius funis ex parte hominum, prudentissime egerunt, primo seruando consuetudinem gentis suæ, eamq; existimationi, quā de sanctitate, ac dignitate Christi habebant, accommodādō. Et ideo recte etiam egerunt, illum vngendo, honesteque ad sepulchrum deferendo. Deinde, quia tempus tale erat, ut moras nō pateretur, merito etiam in loco vicino, & cum eo ornato, comitatuq; quem breui habere potuerunt, eum sepelierunt. Sed & illud quodq; prudentiæ fuit, & maximæ etiam fidei esse potuit, in monumento scilicet nouo, in quo nullus alius positus antea fuisset, eum recondere. Tum quia nouo homini nouum monumentum debebatur, nec decebat diuinum corpus cum alijs cadaueribus sepeliri. Tum etiam quia ad finem resurrectionis eius hoc expedire potuit (ut Hieronymus, & alij notarū) ne illius resurrectio alteri posset attribui. Deniq; etiam fuit opus liberalitatis, quod Ioseph monumentum, quod sibi parauerat (ut ex Matt. colligitur) Christo tribueret. Si autem hoc opus ex parte Dei consideretur, egregie ostendit diuinam sapientiam, & protidentiam. Ita enim res omnes disposuit, ut & more cōsuetō, & pro loci, & temporis opportunitate conuenienti, sepeliretur Christus, & tamen plura mysteria in eo modo funis, & sepulchri continerentur, ac deniq; omnes circumstantias haberet, quæ ad perpetuitatem illius sepulchri, & vtilitatem eius significandam, veritatēq; resurrectionis Christi contestandam, erant necessaria. Ut merito impleta tunc censeatur esse prophetia Isaïæ dicentis, *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Quæ omnia quoniam à D. Th. supra copiose explicantur, latius persequi necesse non est.

Funus Christi conuenientissimum.

Matth. 27.

ARTICVLVS IV.

Virum Christum fuerit in sepulchro solum vna die, & duabus noctibus.



Quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus non fuit in sepulchro solum vna die, & duabus noctibus. Dicit enim ipse Matt. 12. sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita filius hominis erit in corde terre tribus diebus, & tribus noctibus. Sed in corde terre fuit in sepulchro existens. Non igitur fuit in sepulchro solum vna die, & duabus noctibus.

E

2. Præterea Greg. dicit in ho. Paschali, quod sicut Samson abstulit media nocte portas Gaza, ita Christus media nocte auferens portas inferni, resurrexit. Sed postquam resurrexit, non fuit in sepulchro. Ergo non fuit in sepulchro duabus noctibus integris.

3. Præterea. Per mortē Christi lux præualuit tenebris, sed li. 4. ca. 6. post nox ad tenebras pertinet, dies autem ad lucem. Ergo conueniē medium t. 3. tuis fuit, quod corpus Christi fuerit in sepulchro duobus diebus & vna nocte, quam ē conuerso.

285.
inf. q. 52. ar.
4. co. & q. 53.
a. 2. co. & op.
3. c. 243
op. 60 c. 20. &
2 fi. & 1. co.
15 l. 1. co. 22.
Hom. 21. in
Euan. decli-
nando ad fu-

Sed

Sed contra est, quod sicut Aug. dicit in 4. de Trinit. a vesperis sepultura, usque ad diluculum resurrectionis, triginta sex horae sunt, id est, nox tota cum die tota, & nocte tota.

art. 6. q. praecedenti.

Respondeo dicendum, quod ipsum tempus, quo Christus in sepulcro mansit, effectum mortis eius repraesentat. Dicitur enim supra, quod per mortem Christi liberati sumus a duplici morte, scilicet a morte animae, & a morte corporis, & hoc significatur per duas noctes, quibus Christus in sepulcro permansit. Mors autem eius, quia non fuit ex peccato proveniens, sed ex charitate suscepta: non habuit rationem noctis, sed diei, & ideo significatur per diem integrum, quo Christus fuit in sepulcro. Et sic conveniens fuit, quod Christus una die & duabus noctibus esset in sepulcro.

2.3. c. 24 in me tom. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Aug. dicit in lib. de consensu Evangelistarum. Quidam modum loquutionis Scripturae nescientes, noctem voluerunt annumerare tres illas horas, a sexta usque ad nonam, quibus sol obscuratus est, & diem, tres horas alias, quibus iterum terris est redditus, id est, a nona usque ad eius Occasum. Sequitur enim nox futuri Sabbathi, quae cum suo die computata, erunt iam duae noctes & duo dies. Porro autem post Sabbatum sequitur nox primi Sabbathi, id est, illucescentis diei Dominici, in qua tunc Dominus resurrexit, & ita adhuc non constabit ratio trium dierum, & trium noctium. Restat ergo, ut hoc inveniatur, illo Scripturarum visitato loquendi modo, quo a parte totum intelligitur, ita scilicet, quod unam noctem, & unam diem accipiamus, pro uno die naturali. Et sic primus dies computatur ab extrema parte sui, quia Christus in sexta feria est mortuus, & sepultus: secundus autem dies est integer cum 24. horis nocturnis & diurnis: nox autem sequens pertinet ad tertium diem. Sicut enim primi dies, propter futurum hominis lapsum, a luce in noctem: ita isti, propter hominis reparationem, a tenebris computantur in lucem.

4.4. c. 5 to 3.

Ad secundum dicendum, quod sicut Aug. dicit in 4. de Trinit. Christus in diluculo resurrexit, in quo aliquid lucis apparet, & adhuc tamen aliquid remanet tenebrarum noctis. Unde de mulieribus dicitur Ioann. 20. quod cum adhuc essent tenebrae, venerunt ad monumentum. Ratione ergo harum tenebrarum Gregor. dicit Christum media nocte surrexisse, non quidem diuisa nocte in duas partes aequales, sed infra ipsam noctem. Illud enim diluculum, & pars noctis, & pars diei dici potest propter convenientiam, quam cum utroque habet.

Hom. 21. in Euang. non remota a fine.

Ad tertium dicendum, quod in tantum lux in morte Christi praevaluit (quae significatur per unam diem) quod tenebras duarum noctium, id est, duplicis mortis nostrae, remouit, ut dictum est.

COMMENTARIUS.

DE tempore, quo Christus iacuit in sepulcro, duo sunt certa. Primum est, Christum esse sepultum in occasu solis, vel prope illum, ut satis constat ex dictis supra de hora, quia Christus fuit de cruce depositus. Alterum est, corpus Christi mortuum iacuisse in sepulcro toto eo tempore, quod usque ad resurrectionem interlapsum est. Hoc enim per se notum videtur supposita vera morte illius corporis, & ijs, quae ab Evangelistis de eius sepultura narrantur, a quibus quoque id est satis expressum. Hanc enim vim habet illud verbum Angeli Matt. 28. Non est hic: surrexit enim. Per resurrectionem ergo desit esset ibi, & usque ad resurrectionem mansit ibidem. Idem confirmat, quod infra refert Mattheus de mendacio a Iudeis confecto, Christi corpus sublatum esse e sepulcro: cum tamen inde non exierit ab alio sublatum: sed sua virtute iam viuum, ac gloriosum. Ex his ergo duobus, quae certa sunt, colligitur, quaestionem hanc de temporis duratione, quo corpus Christi in sepulcro permansit, pendere ex alia, scilicet quo die, & quota hora resurrexerit, quam postea suo pro-

Matth. 28.

A prio loco tractabo, & ideo in expositione huius articuli nihil est, quod amplius immoremur.

Solum circa rationem, quae D. Th. probat in articulo fuisse conveniens Christum iacere in sepulcro uno die integro artificiali, & duabus noctibus, ad significandum, ipsum morte sua, quae per lucem diei significatur, destruxisse duas mortes nostras, animae scilicet, & corporis, quae in duabus noctibus indicantur, circa hanc (inquam) rationem adueredum in primis est, illam esse mysticam: literalis vero est quia illud tempus fuit conveniens ad demonstrandam veritatem mortis Christi, ut inferias latius tractabimus. Deinde sciendum est, illam rationem sumptam esse ex Aug. li. 4. de Trinit. c. 3. & lib. 65. qq. quaest. 26. & serm. 181. de tempore, quam imitati sunt Beda, & Anselmus Mart. 12. & Alcuinus li. de diuinis officiis, de feria sexta.

Circa argumenta. De primo infra ex professo disputandum est. Tertium est facile. Circa secundum in quo D. Th. cit. Greg. hom. 21. in Euangelia, explicat tem de Christi resurrectione figuram Samsonis Iud. 16. & dicentem Christum media nocte surrexisse, ob seruandum est Gregorium applicatio figuram Samsonis, qui media nocte exiit e civitate, & portas eius tulit, non dicere Christum media nocte surrexisse, sed ante lucem, indicans non oportere veritatem in omnibus circumstantiis exacte respondere figurae, sicut ad hoc propositum notauit Bonauen. in 3. d. 22. q. 3. ad 1. Et ita est facilius expositio Gregorij. Quamquam ea etiam, quam adhibet D. Th. utilis esse possit propter alios Patres, qui asserunt Christum media nocte surrexisse, ut infra videbimus.

QUESTIO LII.

De descensu Christi ad inferos, in octo articulos diuisa.



Einde considerandum est de descensu Christi ad inferos.

Et circa hoc quaeruntur octo.

Prima, verum fuerit conveniens Christum ad inferos descendere.

Secundo, in quem infernum descenderit.

Tertio, verum totus fuerit in inferno.

Quarto, verum aliquam moram ibi traxerit.

Quinto, verum sanctos Patres ab inferno liberauerit.

Sexto, verum damnatos ab inferno liberauerit.

Septimo, verum liberauerit pueros in peccato originali defunctos.

Octavo, verum liberauerit homines de purgatorio.

DISPUTATIO XLII.

In quatuor Sectiones distributa.

De loco, ac statu animarum sanctarum ante Christi mortem.



Haec disputatio necessaria mihi visa est ad intelligenda ea, quae de loco, in quo Beata Christi anima in triduo fuit: & de ijs, quae in eo operata est, adicienda sunt postea. In qua supponendum est, sicut post mortem Christi, ita & ante illam, quatuor fuisse animarum separatarum ordines, seu status. Quaedam, quae in statu peccati mortalis e corporibus emigrarunt: quaedam, quae in solo originali: quaedam vero in statu iustitiae, cum aliqua tamen veniali culpa, aut reatu poenae: alia rursus iustae, & omnino purae, ac mundae: siue ita e corporibus egressae sint, siue post egressum fuerint purgatae plenae mundatae. De tribus prioribus generibus non habemus quaestionem, quia in omnibus illis eadem est ratio de statu, & loco animarum ante, & post Christum.